

gendi locus, Herculeum Gaditanum, sive de posteris eius aliquem, vel saltem quempiam ex Phoenicibus, cui par esset cognomen, ultra Gaditanum fretum excurrisset; narrant enim de Hercule, totum ab illo orbis ambitum maritimo itinere decursum, cui etiam Diodorus Aleciam Septimaniam urbem conditam tribuit.

De origine gentium Armenicarum hucusque disceptatum est apud Doctos, & omnes licet eruditionis sue nervos in eam rem contulerint, nihil vel parum adhuc profecerunt. Obscura sunt omnia, & incerta. Cum tamen ex Chananais de Palestina egressis deriventur a pluribus, eorum nos sententiam modò discutiendam proponimus.

In ipso autem limine operæ pretium ducimus adnotare inter eos etiam, qui sententiam illam propugnant, de ratione Chananæos in Americam transvehendi non satis convenire. Sunt qui autem populos illos conscensu Sydoniis navibus fortuito casu tempestate aliquâ jactatos ex Mediterraneo in Oceanum, inde verò in Americam depulso (k). Iste maris trajetibus, quòd longior plus nimio, atque difficilis videatur, ita à nonnullis contrahitur; namque appulisse illos primò in Africam credunt, deinde ad insulas Canarias, è quibus recta in Americam (l).

Vide P. Eschardot. hystor. Nov. Franc. l. 1. c. 3.

Vide Grot. in Deut. 18. 10. & Notas Joan. de Laet. in disert. Hugon. Grot. & aliorum de orig. gent. Americ. & Horn. de orig. gent. Americ. l. 2. c. 3. m. Vide nostr. dissert. de Moloch n. Deuter. 18. 10. & 2. Paralip. 28. 3.

Vide Horn. l. 2. c. 10. 11.

Demonstr. Evang. propos. 4. ar. 6. pag. 83.

Conjecturâ pro asserenda Americanorum ex Phoenicibus origine, plerumque ex morum, linguæ, & Religionis inter utrasque gentes affinitate petuntur. Mexicanorum Numina Saturno Phœnicum, Moloch Ammonitarum ex æquo respondent(m). Ereum est simulacrum monstruosum subjecto igne candescens, cui humanis victimis litatur. Familiare est etiam apud Americanos, quod etiam obtinuisse apud Phœnices ex Scriptura compertum est, ut per ignem transiliant, quod ipsissimum est lustrari per ignem, recurrens sæpe in Scriptura (n). Ipsa etiam Chananæorum crimina in novum Mundum transvecta sunt; impudicæ, & incestu commixtiones, sodomia, polygamia, divortia; neque ignotus ipsis, quemadmodum olim Phœnicibus, Solis, & Lunæ cultus. Gigantes apud Americanos spectantur. Stigmata sibi inducunt, tum & acervos lapidum in honorem Numinum erigunt. Qui tandem Americane lingue studio delectantur plurimum vocum cum Hebræa, & Phœnicia consonantiam animadvertunt (o). Omnia simul hæc non exigui sunt in hanc sententiam momenti; sed illud operosum est maximè, quòd nempe fieri poterit ut tam vastum interjecti maris spatium trajicerent.

D. Huetius Episcopus Abrincensis (p), casu id factum censet; cum enim, inquit, fretum Gaditanum populi illi sæpius trajicere consuevissent, quòd in Oceanum ad Africæ, sive Europæ litora transirent, factum semel, ut prorogata navigatione sub ipsam usque lineam pervaderent; cum autem ventorum arbitrio nunquam quiescentium & ex oriente in occidentem flantium ducerentur, ad Americam usque, ne cogitantes quidem, eveci sunt. Ut Regionem tenuerant, loci amenitate illecti, atque in-

sausta navigationis timore à regressu deterriti, cum maximè venti ferè semper flarent adversi, moram ibi suam constituerunt. Ex quo factum, ut novis incolis propagaretur regio, quorum ne nuncios quidem ad nos venisset.

Hornius in ea est sententia (q), navigationem ex Africa, & Hispaniis in Americam sæpius à Phœnicibus iteratam; adductoque Strabonis testimonio demonstrat, longas navigationes ejus gentis in Oceano Atlantico tota antiquitate celebratas fuisse. Addit insuper ex eodem Strabone, Eudoxio ex sinu Arabico ad Indias, & Æthiopiæ naviganti, visam proram Phœniciam miserum naufragæ navis indicium. Porro Phœniciam fuisse navim ex insculpto equino capite agnovit, & Gaditæ Negociatores unum esse asserunt ex navigiis piscatoriis. Veteres Scriptores Phœnicias classis omnia latè maria percurrisse testantur. Quam autem Hanno Charthaginensis obiit circum Africam navigationem hanc magis arduam fuisse defendit Hornius, quam quæ ex Africa in Americam instituitur. Namque ex Insulis Fortunatis in Americam 15. dierum navigatione secundiori vento flante trajici posse Acosta testatur. Porro Phœnices Insulas Fortunatas frequentasse ignorat nemo; potuerunt autem inde solventes sive industriâ, sive casu in Americam adnavigare. Paria ferè Laetius animadvertit (r). Phœnices ex Africa ad Canarias ferri, inde ad Insulas Fortunatas, unde in Americam. Ipsum Canarium nomen ex Chananais derivasse Hornium supra notavimus.

Nèque possibile tantummodò Phœnicum in Americam trajetum ipse Hornius demonstrare conatur; quin & accidisse ut tres ad illam navigationes reipsâ instituerent, ita planè ostendit. Prima ad ealoca navigatio sub Atlantibus, posteris nempe clarissimi Atlantis, consignanda est; cum enim, inquit, populi illi Oceanum emitterentur, nomen pelago suum reliquerunt; (Oceanum Atlanticum) huc autem illucque per vastum pelagi tractum discurrentes, accidit tandem, ut Insulas novi Orbis tenerent, quas Atlantidas de suo nomine appellarunt. Porro idem Insularum nomen didicisse constat Platonem ex Sacerdotibus Egyptiis, qui totius antiquitatis depositum sanctè custodiebant (s). Diodorus Siculus non satis eas Insulas à Canariis distinguit (*). Diluvium autem illud, cujus apud Americanos traditio servatur, ipsum esse Hornius suspicatur, quod in Insula Atlantica contigisse iidem Sacerdotes asserunt; addentes integro unius diei & noctis spatio totam eam Insulam aquis demersam latuisse.

Altera Phœnicum in Americam navigatio (t) apud Diodorum Siculum ita ferè describitur (*). In remotissima hominum ætate Phœnices Herculis columnas navigatione transgressi, cum furenti ventorum rabie subito abrepti sustinere adhuc navigia non possent, tempestatibus arbitrio sese permittentes in ulteriora Oceani raptati, post varias huc illuc agitationes tandem

q Lib. cit. c. 5.

r Observ. 1. pag. 136. in Brevevodi sententiam.

s Plato in Timæo & in Critia. * Diod. lib. 5.

t Hor. l. 6. c. 7. * Diod. l. 5. c. 19.

in Insulam Oceani Atlantici plurimum dierum navigatione à Lybia distantem, occidentem versus, jactati sunt; ubi ferax nadii solum, amnes navigia patientes, ac magnificas aedes. Ex his novæ inventæ Insulæ fama & cognitio ad Carthaginenses & Tyrrenos; inter quos populos, Carthaginenses cum frequentibus Tyrrenorum aliorumque populorum Mauritaniam irruptionibus quotidiano premerentur incommodo, instructâ classe, & Gaditanum transgressi fretum, coloniam ad novam illam Insulam deduxerunt, re interim omnes calatâ, eo scilicet consilio, ut ab impetu hostili si quando adgerentur, tutum illic haberent effugium. Narrant alii inventam casu Insulam Carthaginenses plures injussu Magistratum frequentasse, re autem intellectâ Magistratus, metu ne sensim tota Urbs in novas sedes migraret, ne quis ultra eò adnavigaret capitali poenâ prohibuisse.

Tertiò tandem Phœnicias Salomonis classis in Americam adnavigasse tenet; sive illè è Mediterraneo solverint, uti maluerunt nonnulli [u], sive ex Erythro, uti communis habet opinio. Utrinque enim triennali navigatione in Americam commode trajicitur. Virum autem rerum cognitione expertissimum Salomonem hujus non infimè, atque tot nature portentis illustris terrarum orbis portionis situm ignorasse vix credimus. Scitum est, plures eruditione præstantes Interpretes ad eas usque regiones Salomonis classem deduxisse (x). Columbus fodinas se, & profundissimos specus vidisse testatur, unde erutum credit aurum onerandis classibus ejusdem Principis. Hæc potissima sunt conjecturæ, quibus probant Chananæos è Palestina ab Hebræis pulsos, in Africam primum, deinde in Americam divertisse; quibus ita constitutis, ita nos philosophamur.

u Horn. Ibid. c. 8.

x Vatab. Arius Montanus &c.

1. Vix contigisse credimus, ut Chananai è portibus Sidoniis solventes, unâ cum uxoriibus, & filiis vi tempestatibus in Americam usque jactarentur; longo enim & arduo maris tractu percurrendo in summa furentis & pelagi, & venti agitatione nunquam paria fuissent navigia rudi proætatè arte fabricata; neque etiam comæatus tam longæ navigationi sufficientes comparasse illos credimus, cum maximè navigia haberent impedimentis vehendis minus apta. Hæc citra prodigium contingere debuerant; neque enim de prodigio ullâ probabili conjecturâ suademur; atque si omnes, qui de transmigatione Chananæorum systemata excogitarunt, nunquam sibi ad prodigium confugiendum duxerunt.

2. Ultra quidem fatemur, ex Africa in Americam transitum re quidem fuisse possibilem; sed nullâ satis firmâ conjecturâ probatur Phœnices, vel Africanos in eas regiones penetrasse. Esto non omnia quæ à Platone produantur, sint fabulosa; sed vera à falsis discernere quis possit? Insula, de qua Diodorus, una erat ex Canariis, quòd sanè Phœnices penetrasse nullus dubito; sed quid Canariæ, ad Americam?

Tandem certum aliquid vix deduceretur è re incertissimâ, qualis certè habendus est locus classibus Salomonis frequentatus; quæ etiam vera esse statuatur, quid inde? An Phœnices sive ante sive post navigationem illam Americam frequentarunt, quòd illic quandoque ventitarent? Maneat igitur incertum, primos Americæ cultores Phœnices reputandos; incertissimum Chananæos, sive arma Israelitarum fugientes eò usque penetrasse.

Non desunt etiam, qui suspicentur, Chananæos, gentem anathemati devotam, nunquam regionem suam deseruisse, quòd scilicet Divini gladii, & armorum Hebræorum ultioni subicerentur. Ea sanè res Scripturæ verbis in ambiguo relinquuntur (y): Multo tempore pugnavit Josue contra Reges istos; non fuit Civitas, quæ se non traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non merventur ultra clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. Hæc sanè expressa videntur in eos, qui partem Chananæorum fugâ dilapsos abiisse tuerentur. Congruit huic opinioni & fides historiæ. Ex omnibus Chananæe populis ne unus quidem legitur, qui manus vel cum Moysè, vel cum Josue non conferuerit. Amorrhæos domuit Moyses in prælio Transjordanico (z); Hevæos, Chananæos, Pherephæos, Jebusæos, Hethæos, & Amorrhæorum partem qui sub Jabin, aliisque foederatis Regibus pugnant, secundis præliis Josue prostravit (a). Enacim, montium Hebron & adjacentis regionis incolæ delicti sunt (b). Adonibesech Rex Jerusalem sive Jebusæorum, foederati quinque Regum exercitibus Imperator unâ cum sociis Regibus, & reliquo exercitu in obsidione Gabaon commisso prælio interit (c). Tandem Josue ducto censu devictorum Regum 31. enumerat, quorum regio inter Israelitas divisa est (d). Hisce Regibus, uti ex eadem Scriptura constat, parebant Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherephæi, Hevæi, & Jebusæi. Tandem idem Josue victoribus Hebræorum pro concione ad populum exponens, Gergesios hisce omnibus devictis populis accenset (e). Indigiter mihi quicumque voluerit, regionem aliquam, sive Urbem, quæ ab incolis, vel civibus desertâ, à victoribus Israelitis occuparetur: facilius planè continget, ut veteres cives occurrant, qui vel ipsis in vitis Hebræis sedes suas retinuerint. Videbatur etiam divinæ Providentiæ consilio conduxisse magis, ut populus in regione pernicacibus manens, omnes criminum suorum poenas pro merito exsolveret, quòd sanè à Domino prædictum antea, Hebræis executioni mandandum committebatur.

Non desunt etiam, qui suspicentur, Chananæos, gentem anathemati devotam, nunquam regionem suam deseruisse, quòd scilicet Divini gladii, & armorum Hebræorum ultioni subicerentur. Ea sanè res Scripturæ verbis in ambiguo relinquuntur (y): Multo tempore pugnavit Josue contra Reges istos; non fuit Civitas, quæ se non traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non merventur ultra clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. Hæc sanè expressa videntur in eos, qui partem Chananæorum fugâ dilapsos abiisse tuerentur. Congruit huic opinioni & fides historiæ. Ex omnibus Chananæe populis ne unus quidem legitur, qui manus vel cum Moysè, vel cum Josue non conferuerit. Amorrhæos domuit Moyses in prælio Transjordanico (z); Hevæos, Chananæos, Pherephæos, Jebusæos, Hethæos, & Amorrhæorum partem qui sub Jabin, aliisque foederatis Regibus pugnant, secundis præliis Josue prostravit (a). Enacim, montium Hebron & adjacentis regionis incolæ delicti sunt (b). Adonibesech Rex Jerusalem sive Jebusæorum, foederati quinque Regum exercitibus Imperator unâ cum sociis Regibus, & reliquo exercitu in obsidione Gabaon commisso prælio interit (c). Tandem Josue ducto censu devictorum Regum 31. enumerat, quorum regio inter Israelitas divisa est (d). Hisce Regibus, uti ex eadem Scriptura constat, parebant Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherephæi, Hevæi, & Jebusæi. Tandem idem Josue victoribus Hebræorum pro concione ad populum exponens, Gergesios hisce omnibus devictis populis accenset (e). Indigiter mihi quicumque voluerit, regionem aliquam, sive Urbem, quæ ab incolis, vel civibus desertâ, à victoribus Israelitis occuparetur: facilius planè continget, ut veteres cives occurrant, qui vel ipsis in vitis Hebræis sedes suas retinuerint. Videbatur etiam divinæ Providentiæ consilio conduxisse magis, ut populus in regione pernicacibus manens, omnes criminum suorum poenas pro merito exsolveret, quòd sanè à Domino prædictum antea, Hebræis executioni mandandum committebatur.

Sed hisce adhuc reponi potest, non omnes quidem simul Chananæos, prioribus relicti sedibus aliò migrasse; quare contingere potuit, ut ex singulis portio in sua regione maneret. Supra jam animadvertimus Chanaanitarum partem ante ipsam

y Josue 11. 18. 19. 20.

z Vide Num. 21. 21. &c.

a Josue 11. 3.

b Ibid. ver. 21.

c Josue 10. 23.

d Josue 13. 9. &c.

e Josue 24. 12.

sum Josue adventum solum facile vertisse: verterunt, & alii cum bellum Josue Chanaanos urgeret, quorum etiam exemplum fortasse alii secuti sunt post Dacis illius obitum. Certum ejus transmigrationis tempus non nisi temere definiretur, silente Scriptura; sed transmigraſſe reipsa vix est cur in apertissimo Scripturę testimonio negetur (f): *Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum &c.*; quę verba alibi etiam inculcantur (g); atque executioni mandata fuisse Dei promissa Josue (h) & Author Sapientię testantur: *Transiſtis Jordanem, & veniſtis ad Jericho. Pugnaverunt contra vos viri civitatis ejus Amorrbæus, Phereseus, Chananeus, Hebraeus, Gergeſeus, Hevæus, & Jebuſeus, & tradidi illos in manus vestras, miſique ante vos crabrones, & ejeçi eos de locis ſuis, duos Reges Amorrbæorum, non in gladio, nec in arcu tuo.*

Nullus dubito, Deum promiſſiones ſuas Iſraelitis factas ita planè executioni mandasse, quomodo fidem ſuam obligaverat; depulſiſſe nempe hoſtes paulatim, atque per partes, quod sanè ab illo præſtitum eſt non tantum cum Regibus Sehon, & Og, quemadmodum textus Josue inſinuat videtur, sed etiam cum Chanaanis ceteris, quemadmodum Moyſes pro concione ad populum locutus paulò ante obitum ſuum, & aliquanto poſt devictos duos Reges Amorrbæorum demonſtrat (k). In ea oratione Legiſlator Divinas promiſſiones, quibus Deus fidem ſuam Iſraelitis caſtra habentibus ad Sinai, ante quadraginta annos obligaverat, in memoriam revocat:

f Exod. 23. 28.

g Deut. 7. 20. h Josue 24. 12. & Sap. 12. 8.

k Deut. 7. 20. 21. 22.

Non eſt igitur cur miremur, ſi nulla Urbes, & regiones continuò occurrant dilapſo habitatore deſertę, hæc enim ſenſim facta ſunt, nulla interim regione ita dereliſta ut in deſertum tranſmutaretur.

Nec diſſimili ratione factum eſt, ut Josue tot devictos Chanaanos Reges recenſere potuerit, nullasque relinqueretur in eadente populus Hebræorum armis intactus. Quemadmodum enim Gabaonitę è reliquis Hevæis diviſi fœdus cum Iſraelitis ſanxerunt; ita etiam contingere poterat, ut pars Gergeſæorum, & Jebuſæorum, à reliquis ſecedens, ſaluti ſuę fugã conſuleret; cum interim cæteri conſerendis cum populo Dei manibus occuparentur. In vacuis eorum ſedes alii Chanaanorum ſuccedebant, quorum corda Deus obſtruxerat, ne datã ſibi reſpiciendi oportunitate uterentur. Providentia autem Dei, quæ miro occultoque conſilio publicas plerumque calamitates magnis ſervire vicibus populorum, gentium & regionum jubet, ingreſſum Iſraelitarum in Chanaanitidem ſervire voluit diſpergendis in varia loca, ac poſſimum in Inſulas Mediterranci, & in Africam Chanaanis; iſque conditoribus clariffimorum Imperiorum, ſimulque infrequentium antea regionum frequentatoribus uſa eſt. Hæc ad noſtram Diſſertationem, tum & argumentum quod tractamus, maxime conducere viſa ſunt. Quæ de origine Americanorum à Judæis derivatã ſeruntur, in alteram Diſſertationem rejicimus (l).

l Vide Diſſert. in Regionem, quò decem Tribus ſeſe receperunt.

I N LIBRUM JUDICUM PROLEGOMENON.

JUDICES, quorum hæc examinanda hiftoria proponimus, jura populo Dei dabant, Republicam Iſraelis moderantes eã temporis intercapedine, quæ inter Moyſem & Josue, uſque ad conſtitutos Reges interceſſit. Quare nomen illud non ita ad literam uſurpatur, quaſi juri dicundo conſtitutum virum ſignificet, ſive tantum politię Præfectum, vel Magiſtratum, cum penes illos ſumma eſſet, tum pacis cum belli poteſtas. Tyrii poſt veterem Urbem cognominem everſam, atque novam alteram conditam, *Judices* loco Regum conſtituerunt (m); & Carthaginienſes, quę colonia erat Tyriorum, Summos Reipublicę Principes non alio appellatos nomine voverunt, quam *Judices*, Phœnicio nomine *Suffetes* (n), vel *Sufetim*, quod non multum abluſit ab Hebræo *Schophetim*, quo in Scriptura *Judices*, de quibus in præſentiarum, nuncupantur. Suſpiciantur viri qui-

m Joſeph. l. 1. contra Appion.

n Liu. Decad. 3. l. 8. Suffetes Summus erat Penſ Magiſtratus.

dam Eruditi (o) *Archontes* Athenienſium, & *Diſtatores* Romanorum ad *Judices* Iſraelitis referendos; nec deſunt qui Republicam Iſraelis ſub *Judicibus* comparent politię Germanorum, Gallorum, ac Britanno- rum ante immutatas à Romanis Leges (p). Grotius in ea eſt ſententiã *Judices* Iſraelitarum nihilo fuiſſe Regibus minores, niſi uno excepto Regio factu & apparatu, ceterum enim poteſtate pares fuiſſe; quemadmodum in Interregno Regni Adminiſtratores, ſive *Diſtatores* in Republica Romana (q).

Manus *Judicium* non hæreditario jure, nec electione poſſidebatur; vices autem in adminiſtratione Reipublicę Dei, Summi ejus gentis arbitri, gerebant. Cum autem hanc ſummam in populum authoritatem retinere ſibi Deus ſummopere vellet, ſuſcitatos identidem *Judices* nonniſi in partem modicam, & anguſtam authoritatis vocabat. Cum Samuel urgeretur à populo, ut

o Vide Severi in Judic. 3. 2. qu. 1. &c.

p Grot. in Judic. 1.

q Idem in Deut. 17. 9.

ut Regem conſtitueret, Deus illatam injuriam in ſe ſuſcepit; quaſi ſcilicet Regnum ſuum recuſaſſent, cum alterum ſibi conſtituendum poſtularent: *Non te, ait idem Deus ad Samuelem, abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Gedeon offerenti ſibi ac poſteris Regnum populo reſpondit. *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vobis filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus* (r). Perpetua erat ad obitum uſque dignitas, quamvis uni deſuncto non ſtatim alter ſuſciceretur, ut ſeries eſſet per intervalla diviſa: ſuomet arbitrio identidem ſibi imperantibus populis, identidem alterius imperio ſervientibus. Id autem ut populus nullius imperio ſubigeretur, tunc primum inſectum in Republicam creditur, poſtquam Josue, & Seniores cum illo reum poſiti fato functi ſunt. Cum autem neceſſitas poſtulabat ſcilitatus à Deo Liberatores populum defendendum ſuſcipiebant.

r Judic. 8. 22.

s Judic. 11.

Quædam tamen ſuppentur pro datã occasione exempla delati Reipublicę imperii, non à Deo ſenſibili deſtinatione, ſed populi conſentientis voluntate. Ita ſuffragiis populi univerſi Jephthe deſtinatus eſt, ut populum contra Ammonitas defenderet (s). In iis autem electionibus ratus, nec immeritò, populus eum poſſimum virum aſſiduis rebus relevandis deſtinari Divinitus, qui inſigni corporis robore animique virtute præſtaret, ſummo omnium conſenſu imperium illi totius Reipublicę conſerebat. Sapè Ducis electio à parte tantum Iſraelitarum, non ab univerſo populo facta eſt, cui proinde in partem, non in totam Republicam imperium demandabatur. Eadem datã proportione politiã in Duces à Deo deſtinatos ſervabatur, quippe qui non raro parti tantum Iſraelitarum præſent; parti, inquam, quæ alterius Principis tyrannidi ſubjecta liberatore indigebat; cum interim reliqui pacis deliciis fruenterent. Electi autem non quidem ad tempus erant: imperium per totam vitam prorogabant, juri dicundo continuò ſe occupantes. Cæterum ſine pompa, ſuoco, & ſatellitio; niſi ſi factum propriis ſumptibus, & ambitione, non dignitatis neceſſitate adſciſcerent. Dignitatem enim gerebant puram & ſimplicem, ſine theſauro facile & proventibus. Jair Scriptura notante (t), *habebat triginta filios, ſedentes ſupra triginta pullos aſinarum.* Abdon, qui præſuit 8. annis, filios habuit 40. & nepotes 30. ſingulis aſello ſuo inſidentibus (u). Hęc autem duorum *Judicum* decora, & apparatus non dignitatis illius fuiſſe ex verbis Deboræ in Cantico colligimus, in quo divites, & Principes Iſrael ita aſſatur (x): *Qui aſcenditis ſuper nites aſnos, & ſedetis in judicio, & ambulatis in via, benedicite Domino.* Nulli ſane tum temporis *Judices* erant in Iſraele conſtituti præter Deboram ipſam, & Barac, quocum Deboræ vel Canticum concinavit, vel cecinit (y); neque iis verbis ipſam ſe Deboram vel Barac hortari voluiſſe, facile credimus.

t Judic. 10. 4.

u Judic. 12. 14.

x Judic. 5. 10.

y Ibid. v. 11. Cecineruntque in illo die Deboræ & Barac. . . . dicentes.

Summa erat penes *Judices* poteſtas in Diſſert. Calmet. Tom. I.

rebus belli, & pacis; uti belli indicendi, atque nomine totius gentis gerendi; de cauſis ſingulorum deſinitã ſententiã judicandi. Ad novas condendas leges imponendaque onera quod attinet, hanc Deus ſibi reſervaverat poteſtatem, ut ipſi ſe & populum regere ad Dei nutum, legem & voluntatem ore Sacerdotum, & Urim & Thummim oraculo manifeſtatam tenerent. Aſſertores tamen erant Legum, & Religionis, criminum ultores, ac Idololatrię poſtiſſimum, quę ne irreperet unquam invigilare, aut jam inveſta ne ultra gliſceret, vi obſistere debuerant.

Animadverſione etiam dignum eſt, Scripturam muneri Regum deſignando uti verbo *judicare*. Iſraelitę ad Samuelem: *Conſtitue, inquit, nobis Regem ut judicet nos* (z). Salomon eam à Deo poſtulat ſapientiam, qua *populum judicare poſſit* (a). Joathan filius Azarię Regis, vicibus patris functus, *gubernabat palatium, & judicabat populum terra* (b). Non abs re etiam ambigimus, an ex *Judicibus* Iſrael nonnulli aliud præter penes illos poteſtas de Iſraelitarum cauſis judicandi. Deboræ jus populo dicebat ſub *Judice* Barac; & Summus Sacerdos Heli ſub Samſone, quem planè Samſonem nunquam *judiciale munus* egiſſe novimus in S. Scriptura.

z 1. Reg. 8. 5. 6.

a 3. Reg. 3. 9.

b 4. Reg. 1. 5.

Tempus adminiſtratę Reipublicę à *Judicibus* 339. annorum intercapedine continetur. Liber *Judicum* hiftoriam omnium eorum Principum uſque ad Samſonem complectitur; quare nihil in eo de Heli & Samuele: obiit autem Samſon A. M. 2887. juxta quem calculum in Libro *Judicum* hiftoria exhibetur 317. annorum. Horum tamen annorum ſupputatio crucem figit Chronologi. Major ipſorum & Interpretum pars autumat, ſemper ac in Scriptura pacis aliquis certa aliqua temporis periodus deſignatur, non ita eſſe ſupputationem inſtituendam, ut annorum numerus à pace per illum *Judicem*, de quo ibi fermo eſt, procuratã ducatur, ſed calculum exordium eſſe poſt finem pacis alterius *Judicis* præcedentis. Quare intra deſignatam annorum periodum non tempus tantummodò adminiſtratę Reipublicę à *Judice* illo, de quo agitur, continueatur; quin etiam unã recenſendum tempus præcedentis oppreſſionis, quod pacem ab antecedenti *Judice* procuratam exceperit. Quæ planè digerendum annorum ratio & conſuetudini repugnat, omnemque vocum naturalem ſignificationem turbat; cum enim dicimus e. g. Princeps depulſis hoſtibus regionem pacavit, quę ſanè pax 40. annis duravit; qui planè hanc annorum ſupputationem non exordiretur à pace primùm ab eodem Principe procuratã? Sed in Libro *Judicum* omnia planè variare contendunt.

Quò ſe ab ea difficultate expediret Marſhamus (c), rationem inivit commodam oppidò, & quantum conſicimus, plauſibilem. Suſpicatur ille ſuos eſſe *Judices* planè diverſos ultra & citra Jordanem, ſicut & ſua fuiſſe bella ulterioſis & ceteriſis regionis. His conſtitutis, obſervat poſt egreſſum

c Canon. Chron. Egypt. &c. pag. 291. edit. London.